OBSERVATIONES
DE
CAVTELA SOCINI
ET
QVANDO ILLA SIT INVTILIS

PRAESIDE

CHRISTOPH· LVDOV· CRELLIO, ICTO
POTENTISSIMI REGIS POL· ET PR· ELECT· SAXON
S· R· I· H· T· VICARII, CONSILIARIO AVLICO
DIGEST· INF· ET NOVI P· P· ORDINARIO
CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS
ITEMQVE ORDINIS IVRIDICI
ASSESSORE



ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
H· T· *RECTORE*

DIE AVG· A· Q· S· P· EST cIↄ Iↄcc XXXXI

IN AVDITORIO ICTORVM
DEFENDET
CHRISTIANVS FRIDERICVS MEYER
IVTREBOC· SAXO

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA.



I

FAVOR HAEREDITATIS LEGITIMAE ODIVM EXHEREDATIONIS CRUDELITAS ET AVARITIA MATRUM



Ipsa quidem NATURA ſuos cuique liberos, quos illa propter ſpem temporis futuri et poſteritatis edidit, et quorum ſucceſſibus et incrementis nervus reipublicae inprimis continetur, ita commendauit, ut his parentes non ſolum ante omnes proſpectum cupiant, ſed omnem etiam peſtem et calamitatem, quamuis cum detrimento quodam ſuo, a liberorum capite tanto diligentius auertant, quanto

longius ſpem uitae ſuae et generis humani, etiam poſt fata, per liberos proferri arbitrantur. Hoc PAVLLO in mentem uenit, qui l. 8. §. 3. D. *quod met. cauſſ. geſt.* pro affectu, ait, parentes, ſi uis quaedam liberis inferatur, MAGIS in liberis terreri. Quae cum ita ſint, in illis gentibus inprimis, apud quas plus boni mores, quam alibi bonae leges, ualuerunt, SVI CVIQVE LIBERI HEREDES ſunt. a) Certe, ſi NATVRALE plerorumque VOTVM audiamus, fructum ſudoris ſui ad ſuos liberos peruenire cupiunt parentes, aut, quod ſenex ille, qui iam decrepitus nouum opus in hortis inchoauerat, apud CATONEM, b) affirmauit, arbores poſteritati ſerunt, illaque ſe iucunditate conſolantur, quod animo praeuideant utilitates liberorum, quas ſuo ipſis labore pepererunt.

Quapropter SVSPECTAE ſunt pleraeque heredum inſtitutiones, quibus parentes, liberis parte aliqua excluſis, ad ſucceſſionem uocant extraneos heredes: ut, niſi magna illos indignitate liberorum commotos eſſe appareat, artibus et fraude aliorum ſeducti et corrupti eſſe uideantur.

Sed IMPERATOR quidem *Nou.* XVIII. c. 3. VXORES maxime accuſat, quarum blanditiis mariti ab ipſo officio naturae auocentur. Multos enim, ait, non PATERNE, neque, ut VIROS oporteat, ſed nimis MOLLITER ac REMISSE, inſtitutiones facere VXORIBVS, ut ſi non proprietas, tamen uſusfructus, ſuprema parentis uoluntate liberis interuertatur. Eſt enim non leuis ſuſpicio, ne matres, quamuis indulgentiſſime tractent liberos, maritorum hereditatem, cum ſanguinis ſui iniuria, ſubinde aucupentur, ut CONTEMPTVM VIDVITATIS ſuae, quem metuunt, OPVLENTIA ac rerum COPIA ſuperent, et, neglectis abiectisque liberis, ad ſpem omnium ordinum et temporis futuri comparatis, in ſua aula dominentur. Ita quidem GAIVS noſter, cum matrum naturalium pudori peperciſſet, de NOVERCIS ſuſpicatur, quae NOVERCALIBVS DELINIMENTIS et INSTIGATIONIBVS parentum ingenium corrumpant, ut MALIGNE de ſanguine ſuo

a) Tacit. de Moribus German. c. XX. b) Cic. in Caton. de Senect. c. 7. f.

ſuo ſentiant in tabulis ſupremae uoluntatis. l. 4. D. de *Inoff. teſtament.*

Ex his igitur, quae adhuc diſputata ſunt, non poteſt eſſe obſcurum, quod NON FAVENDVM ESSE VIDEATVR parentis teſtamento, quo uel matri, uel alii heredi extraneo, CVM LIBERORVM FRAVDE et incommodo, proſpexit. Sapienter enim IMPERATOR monet, SVBTILITER proſpiciendum eſſe liberis, ne ſpes ipſorum iniuria parentum minuatur. *Nou* XVIII. c. 7. f. Quapropter uel infirmabimus, uel certe ſtrictiſſime interpretabimur parentum poteſtatem, qua hereditates liberorum ONERANT et INTERVERTVNT. Aperte enim PAVLLVS l. 19. D. *de lib. et poſthum. hered.* praecipit, EXHEREDATIONES liberorum, et omnes malignas inſtitutiones, interpretatione NON ADIVVANDAS eſſe; quamuis alias heredum inſtitutiones benignius accipiamus.

Sed ita quidem ex IVRE CIVILI de hereditate liberorum diſputamus. Si uocem NATVRAE et RATIONEM audiamus, certius uidetur, nullam neceſſitatem parentibus imponi, hereditatem liberis, maxime ADVLTIS, relinquendi. Enimuero officio defuncti ſunt, qui uiui illos aluerunt. Poſtquam fato perempti ſunt, omnia parentum et officia et iura extinguuntur. Natura enim, quod alio a nobis loco comprobatum eſt, ignorat teſtamenta: et ſatius fuiſſet, arbitrio reipublicae, cuius ornandae et amplificandae cauſſa facti et procreati ſumus, penitus permitti, ad quem illa uelit hereditates mortuorum peruenire. Sed, poſtquam inualuit, ſuo patresfamilias iudicio deligere heredem; omnino multa ſunt, quae naturali ratione nos mouere poſſint, ut LIBERIS inprimis proſpiciamus teſtamento. Vt cetera taceam, illud expeditum eſt, DVRISSIMA CONDITIONE plerumque uſuros eſſe liberos, quibus hereditatis paternae ſpes eriperetur. Non enim ipſis ignorantibus, parentum fortunae cumulantur, et adminiſtrantur, ut NESCIANT, quam meſſem exſpectare posſint. Ita aluntur, ita educantur, ut uideant, qua naſcendi felicitate uſi ſint, ad quas ſpes ſe comparare posſint. Eam uitae conſuetu-

ſuetudinem eligunt, eam rationem ineunt, ad quam ſequendam fortuna naſcendi ſufficere ipſosque inuitare uideatur. Quam exſpectationem ſi magna rerum conuerſio, ex parentis teſtamento ſubſecuta, fefellerit, neceſſe eſt, opulentiorum ciuium liberos, in rerum omnium inopia uerſari, et durius affligi, quam proletariorum liberos, quos parentum conditio et quotidiana cogitatio domeſticae et hereditariae egeſtatis ad quoscunque caſus indurauit.

II

LEGITIMA PORTIO PLENISSIME ET SINE OMNI ONERE RELINQVENDA EST. PER CAVTELAM SOCINI LEGITIMA ONERATVR

STRICTE igitur interpretamur ſupremam PARENTIS uoluntatem, qua de naturali illa liberorum hereditate aliquid detraxit. Sed, ne tamen parentes, propter liberorum cupiditatem, iucundisſima illa dulcisſimaque uoluptate, quam ex amicitiis exercendis dandisque beneficiis capimus, carere, et liberis omnia promiſcue deglutienda relinquere, cogantur, primo, INTERPRETATIONE PRVDENTVM, introductum eſt, ut ſufficeret, ſi liberis, ad exemplum LEGIS FALCIDIAE, QVARTA PARS HEREDITATIS a parentibus relinqueretur: cum liceret hereditatem, usque ad illam partem, legatis et fideicommisſis exhaurire. Vt enim credam, a ICTIS duntaxat, poſt tempora AVGVSTI, hoc inuectum eſſe, PLINIVS SECVNDVS, Junior, a) apud me effecit. Ille enim, ut filium a matre exheredatum conſolaretur, „ſi mater, inquit, ex QVARTA PARTE „ſcripſiſſet te heredem, num queri poſſes? Quid ſi heredem quidem inſtituiſſet ex aſſe, ſed legatis ita EXHAVSISSET, ut non amplius apud te, quam QVARTA, remaneret.?

Ex

a) Plin. Epiſt 1. L. V.

Ex quo loco apparet, ad exemplum heredis extranei, qui QVARTA contentus esse debet, quamuis ex asse heres institutus sit, etiam liberis quartam hereditatis paternae maternaeue partem attributam esse a)

Sed, haec utcunque existimata fuerint, illud constat inter omnes, postea etiam LEGIBVS EXPRESSIS et Imperatorum constitutionibus non solum confirmatam esse prudentium de portione LEGITIMA opinionem, sed etiam auctam et amplificatam, ut imposterum liberis modo TRIENS modo SEMISSIS deberetur. *Nou.* XVIII. c. 3.

Igitur, si non tota hereditas, certe PORTIO LEGITIMA liberis relinquenda est ex patrimonio parentum. Neque tamen in eo substitit ueterum diligentia, sed PORTIONEM illam liberis PLENISSIME uoluit relinqui. Vt reliqua taceam, quae copiosius ab aliis traduntur, illud meretur obseruari, quod IVSTINIANVS l. 35. §. 2. et l. 36. C. de *Inoffic. testam.* praecepit, liberos, quamuis IAM AGNOVERINT parentis iudicium, tamen, si postea appareat, MINVS LEGITIMA PORTIONE ipsis relictum esse, non prohiberi, quin postulare possint ab heredibus, ut portio legitima ab ipsis repleatur. Ideoque, etiam si fundus loco legitimae relictus sit, quamuis filius, agnoscens iudicium parentis, illo contentus esse uelit, tamen ubi ille uel totus, uel quoad partem aliquam, EVICTVS, et portio illa legitima nouis casibus, sine filii facto, quocunque modo deminuta fuerit, efficaciter experietur ad portionem legitimam REPLENDAM d. l. 36. pr. C. de *Inoff. testam.* Enimuero nequaquam TACITE RENVNCIASSE filius censebitur portioni legitimae, quam ipsius prudentia legislatoris definiuit: ut semper conqueri posse uideatur de legitimae portionis deminutione, nisi EXPRESSE pactus sit, QVOD CONTENTVS PARTE iam accepta, NVLLAM praeterea cum heredibus habeat de legitima portione QVAESTIONEM. d. l. 35. §. 2. C. de *Inoffic. testam.*

Dice-

a) Gerard. Nood. ad Lib. V. digest. Tit. II. p. 169.

Dicemus igitur TOTAM omnino illam portionem, quae legibus sit definita, liberis deberi, ut de illa, si forte casu quocunque deminuta sit, ab heredibus replenda, cum spe uictoriae, experiri possint. Sed IVSTINIANO quidem non satis est, TOTAM liberis portionem illam legitimam tribui, sed uoluit illam liberis etiam SINE ONERE, aut sine GRAVAMINE, relinqui. l. 32. C. de *Inoff. testam.* Quod ne cuiquam sit obscurum, ipse interpretatus est, CONDITIONES quascunque, itemque DILATIONES, MORAM, MODVM, et aliud denique quodlibet INCOMMODVM liberis impositum, quo plenissimus illius portionis fructus et liberorum circa illam liberrima potestas perturbetur, pro ONERE et GRAVAMINE haberi, atque ita accipi, QVASI NIHIL EORVM omnino ADIECTVM ESSET testamento. d. l. 32. C. de *Inoff. test.* Imo uero uehementius alio loco commouetur IMPERATOR, et, parentem FAME LIBEROS NECARE, illosque OCCIDERE, affirmat, nisi ius plenissimum et liberrimum liberis in portionem legitimam ab ipso tribuatur: ideoque ne usumfructum quidem illius portionis liberis ad tempus aliquod eripi, aut matribus a testatoribus subinde assignari, permittit, sed et proprietatem et usumfructum iubet liberaliter ad liberos ex testamento peruenire. *Nou.* XVIII. c. 3.

Ex his igitur apparet, parentibus omnino nihil permissum esse illarum artium et machinationum, quibus portionis legitimae uel quantitas uel libertas aliquantulum deminuatur. Idem etiam PONTIFICI placuit, qui c. XVI. et XVII. X. de *Testament.* legitimam, uel NATVRALI iure, liberis SIMPLICITER deberi, ait, adeoque CONDITIONEM, et ONVS legitimae adiectum, omnino detrahendum, illamque portionem liberaliter, et sine omni incommodo, liberis a parente relinquendam. Sed SOCINVS a) *Iun.* quem et DECIVS b) et GVALDENSIS, c) et MENOCHIVS, d) et ANTONI-

a) *Socin. Iun. Consult.* 122. *in fec. dub.* L. I. Id. Consult. 112. n. 24. L. I. b) Decius consil. 688. c) Gvaldens. de Arte testand. tit. de substit. caut. 31. d) Menoch. T. I. Cons. 71. n. 9.

TONIVS PEREGRINVS a) et alii fere trecenti longo ordine secuti sunt, inuenit formulam, qua liberis necessitas suscipiendi ONERIS, quod ipsam PORTIONEM LEGITIMAM restringeret, efficicaciter imponi posse uideretur. Enimuero praecepit, ut filius, si onus, quod testator heredis institutioni adiecerit, suscipere detrectet, LEGITIMA PORTIONE CONTENTVS esse, et reliquam hereditatem alii restituere, in testamento iuberetur: ut ecce: FILIVS MEVS HERES esto: sed usumfructum hereditatis uniuersae matri suae relinquat, quae ipsi alimenta annua praestabit: si uoluntati meae non obtemperauerit, legitimam duntaxat portionem capiat: in reliqua parte matrem eius instituo heredem.

Et SOCINVS quidem utitur non IMPROBABILI OSTENTV. Ait enim, hac cautione legibus, quae liberis certam portionem tribuerunt, satisfieri, si filius legitima contentus esse iubeatur: Neque uero filium recte conqueri, quod onus a parente, cum CONDITIONE, legitimae adiectum sit: quandoquidem filius, si legitimam partem haberet, etiam PVRE a reliqua hereditate excludi potuisset: ipsi igitur iniuriam non fieri, cui optio detur a parente, utrum TOTAM hereditatem, quae ipsi NECESSARIO non relinquenda est, accipere CVM ONERE ADIECTO, an PORTIONE LEGITIMA contentus esse, adeoque lucrum exiguum percipere, quam spem magnam, coniunctam cum aliquo incommodo, expectare malit. In quo argumento utrum recte senserit SOCINVS, operae pretium uidetur, ut diligentius expediamus.

B In

a) Peregrin. de Fideic. art. 36. n. 62. p. 334. b.

III

IVRE CIVILI ONVS FILIIS IMPOSITVM
QVOAD TOTAM HEREDITATEM
PRO NON ADIECTO ACCIPITVR
NISI LEGITIMA EXPRESSE EXCEPTA SIT.
SECVS IVRE CANONICO, ET VSV FORI.
LIBERI OMNIMODO
HEREDES INSTITVI NEQVEVNT
SVB CONDITIONE, QVAE NON SIT
IN IPSORVM POTESTATE.

Res erit luculentior, ſi a prima origine repetemus, quid induxerit SOCINVM, ut hac cautione, quam praeſcripſit, utendum eſſe crediderit parenti, qui totam liberorum hereditatem, atque etiam legitimam illorum portionem, onerare uelit. Sed hoc apparebit, ſi quaedam generaliter admonuero de CONDITIONIBVS, quae in liberorum hereditate a ueteribus admiſſae ſunt: cum, illud argumentum non exiguam difficultatem habere uideatur.

Et primo quidem abſciſſe IMPERATOR ONVS hereditati LIBERORVM a parentibus impoſitum PRO NON ADIECTO habet, niſi expreſſe portio legitima ſine onere fuerit relicta. Ait enim IVSTINIANVS, ita rem procedere, QVASI NIHIL eorum ADSCRIPTVM ESSET teſtamento. l. 32. C. de *Inoff. teſtam.* Quae cum ita ſint, dicemus, filiumfamilias, quem pater ex aſſe heredem cum CONDITIONE ſcripſerit, ex mente IVSTINIANI, pure inſtitutum uideri, ut totam haere-

hereditatem consequatur, quamuis non paruerit conditioni; nisi legitima portio ipsi SINE ONERE expresse sit relicta. Enimuero si tota illa conditio, nisi legitima ab onere excepta et liberata sit, PRO NON SCRIPTA accipitur, quae potest esse dubitatio, quin tota hereditas, quasi pure relicta, filio ex testamento relinquatur.

Igitur, si IVS CIVILE audiamus, onus heredis institutioni simpliciter a testatoribus adiectum, pro non scripto habebitur, ut tota hereditas PVRE filio relicta uideatur. Sed PONTIFEX uidetur Imperatoris sententiam interpretatione pervertisse. Ille enim, quamuis OBSCVRE, onus toti hereditati a parente impositum, de PORTIONE LEGITIMA duntaxat detrahit, ut illa PVRE perueniat ad liberos, sed in reliquis partibus hereditatis adquirendis obtemperandum esse censet testatoris uoluntati, ut illis filius non nisi cum onere adjecto potiri posse uideatur c. XVI. et XVIII. X. de *Testament.*

Haec igitur prima dubitatio fuit, quae SOCINO in mentem uenit, cum de CONDITIONE liberis in heredis institutione a parentibus adscripta cogitaret. Sed accedebat etiam alia non leuior difficultas, quam IVS CIVILE conditionibus, heredis institutioni a parente adiectis, opponebat. Enimuero ueteribus placuit, filium non posse sub alia CONDITIONE heredem institui, quam quae IN EIVS POTESTATE esse uideretur. Ita PAPINIANVS atque VLPIANVS responderunt l. 28. D. de *Condit. Institut.* et l. 4. D. de *Hered. Instit.* Imo uero adhuc luculentius ALEXANDER l. 4. C. de *Institut. et Substit.* tradidit, non ualere patris testamentum, si filio adscripta esset conditio, quae non ab eius uoluntate duntaxat, sed etiam a CASV et alio euentu, pendere uideatur: nisi forte filius ex caussa idonea EXPRESSE EXHEREDATVS et in locum eius alius heres scriptus esset a parente, in hunc casum, si conditio non impleretur.

Quandoquidem uero his legibus nunquam postea derogatum est, plerique omnes, usque ad BARTOLVM, quod testatur PEREGRINVS a) et, meo quidem iudicio, RECTE censuerunt, etiam hodie conditionem CASVALEM, aut MIXTAM, liberis a parentibus adscriptam, non solum quoad legitimam, quae PVRE relinquenda est, inefficacem, sed de tota heredis institutione detrahendam esse, ideoque patris patrimonium, quasi nulla esset conditio, ad liberos simpliciter pertinere, nisi expresse in hunc casum in reliquis bonis, praeter legitimam, alius heres illis surrogatus esset, si liberi conditioni non obtemperassent. Haec igitur talia SOCINVM impulerunt, ut formulam excogitaret, qua testatores utrique difficultati mederentur. Itaque praecepit, ut EXPRESSE filius in LEGITIMA duntaxat, sed PVRE institueretur, si conditionem toti hereditati adscriptam noluerit implere: ne tota illa conditio, secundum ius ciuile, pro non scripta haberetur: Deinde etiam liberos a reliquis bonis, praeter legitimam, EXPRESSE excludi et alium heredem ipsis surrogari uoluit, si non agnoscerent conditionem: quod necessario fieri debebat, si conditio NON POTESTATIVA liberis imponeretur. Quapropter in hunc fere modum concipitur FORMVLA SOCINI: Filius meus heres esto, sed usumfructum omnium bonorum matri suae, quam diu uixerit, relinquat: si uoluntati meae non obtemperauerit, legitima portione contentus esto: in reliquis enim bonis matrem eius instituo heredem.

Sed ex his quidem, quae adhuc a nobis obseruata sunt, non difficile erit, iudicare, quo fructu et effectu parentes hac formula utantur.

IIII

a) Peregr. de fideicommiss. art. 36. n. 63. p. 335.

IIII

CAVTELA SOCINI MAGIS POENAM QVAM CONDITIONEM CONTINET IDEOQVE VETERI IVRE INEFFICAX FVISSET

SED VETERI quidem IVRE, prorſus non dubito, INEFFICACEM fuiſſe SOCINI cautionem, qua liberi bonis omnibus, praeter legitimam, in patris teſtamento excluduntur, niſi totam hereditatem, atque etiam legitimam portionem, CVM CONDITIONE et ONERE agnoſcant. Enimuero diſputatione uix indiget, magis POENAM, quam CONDITIONEM, SOCINI cautione contineri. MARCIANVS enim l. 2. D. de *His quae poenae cauſa relinquuntur*, POENAM ait a CONDITIONE teſtatoris uoluntate maxime diſtingui. Iamuero nemo dubitabit, quin COGENDI COERCENDIque heredis cauſſa teſtator SOCINI cautione uti uideatur. Id enim hac cautela a parente agitur, ut filio neceſſitatem imponat, qua onus portioni legitimae et toti hereditati ab ipſo impoſitum accipere, et legis, quae portionem legitimam uult ſine onere relinqui, beneficium dimittere, aut, ſi non obtemperauerit, damnum ſentire, et, accepta portione legitima, reliquis partibus carere cogeretur. At uero aperte IMPERATOR §. ult. I. de *Legat.* POENAE cauſſa relictum eſſe ait, quod coercendi heredis cauſſa relictum eſſe uideatur.

POENAM igitur continet SOCINI formula, et heredis coercendi cogendique cauſſa excogitata eſt.

Sed VETERI quidem IVRE non ualebat, quidquid POENAE et COERCENDI HEREDIS caussa relictum esset. Ita enim AFRICANVS praecepit, l. 1. D. de *His*, *quae poenae causs. relinq.* Et iam antea SABINVS, heredis COGENDI et coercendi gratia ne quidem COHEREDEM efficaciter heredi scripto dari posse, obseruauit §. ult. I. de *Leg.* omnemque poenam respuit in testamentis. Neque enim rata fuit HEREDIS INSTITVTIO: Titius heres esto: si Titius Seio filiam in matrimonium collocauerit, etiam Seius heres esto. Quae enim cogendi heredis caussa adiecta esse intelligebantur, pro NON SCRIPTIS accipi debebant.

Quae cum ita essent, nec SOCINI formula utilis fuisset, qua pater filium heredem scribit, et uxori suae relinquit usumfructum, sed filio, si non obtemperauerit, uxorem coheredem adiicit suprema uoluntate.

Et mihi quidem ueteres uidentur rectissime sensisse, qui negauerunt, in testamento, POENAE CAVSSA, posse aliquid relinqui. Nimirum ipsa potestas testandi patribusfamilias hac maxime ex caussa iure prisco attributa est, ut haberent facultatem collocandi BENEFICIA, et bene de aliis etiam in supremo iudicio merendi: non, ut poenas constituerent, et iras exercerent. Quare liberaliter TIBERIVS CAESAR hereditates omnium repudiauit, nisi quas AMICITIA meritus fuisset: a) et saepissime rescriptum est, ne PRINCIPEM quidem agnoscere, quod PVNIENDI heredis caussa, non ex testatoris in PRINCIPEM affectu, sit relictum. d. §. ult. I. de *Legat.* Non enim locus esse potest dubitationi, quin ex inuidia et seueritate in heredem potius, quam ex affectu et beneuolentia in substitutum aut coheredem, profecta sint, quae POENAE CAVSSA alii in testamento assignantur. Sed,

a) Tacit. II. Annal. 48.

Sed, quamuis haec quidem uerissima sint, tamen fauere SOCINO uidebitur correctio IVSTINIANI, qui OMNIA omnino testamenti capita, quamuis POENAM heredis contineant, RATA esse uoluit in suprema uoluntate l. un. C. de *His, quae poenae nomine.*

Vnum duntaxat excipit IVSTINIANVS, ut, si heredi aliquid LEGIBVS INTERDICTVM, aut PROBROSVM, aut IMPOSSIBILE, imposuerit testator, et uel coherede dato, uel legatis POENAE nomine relictis, heredem cogere uoluerit ad iniquissimam eius uoluntatem adimplendam, tunc negligatur praeceptum testatoris, et hereditas quasi PVRE relicta, plenissime perueniat ad heredem institutum. Igitur superest, ut uideamus, an non PROBRI aliquid et FRAVDIS et INIQVITATIS contineat CAVTIO SOCINI.

V

CAVTELA SOCINI
ETIAM HODIE INEFFICAX EST,
SI FILIVS AD ONVS ALIQVOD
CONTRA LEGES SCRIPTAS SVSCIPIENDVM
COGITVR.
CONDITIO IN FRAVDEM LEGVM ADIECTA
PRO NON SCRIPTA HABETVR

NIMIRVM ita sentio de CAVTELA SOCINI, quoties per illam liberis aliquid OBTRVDITVR, quod leges fieri PROHIBVERVNT, et liberrima illa circa portionem LEGITIMAM potestas constringitur et imminuitur, aut FACVLTAS

IN-

INVESTIGANDI VIRES PATRIMONII et uerae quantitatis, quae portione legitima contineri debet, intercipitur, quod fere femper fieri uidemus, toties illam PROBRVM continere, et iniquam effe, et PRO NON ADIECTA merito habendam. Enimuero PVBLICE intereft, et magna prouidentia legislatoris conftitutum, ut tandem aliquando liberi, poft parentum mortem, ipfi aliquid in pleniffima poteftate habeant, quo fe exhibere, res fuas componere et ordinare, certam perpetuamque uitae rationem inire, fupellectilem et inftrumenta artis fuae inftruere et comparare, nidum denique, in quo neceffitatibus fuis confulant et utilitates aliquas reipublicae procurent, facere, atque ita uitam demum inchoare poffe uideantur. A cuius fapientiffimae conftitutionis fructu capiendo nulla conditione, nulla iactura, nullius metu IGNOMINIAE, in parentum teftamentis fibi OSTENTATAE, deterreri debent. Certe PERICVLOSVM EXEMPLO foret, liberos quacunque machinatione prohiberi, ne experiri poffint, utrum PORTIO illa, lege definita, parentis iudicio ipfis interuerfa fit, aut deminuta: quod uideo Illuftrem LEYSERVM a) noftrum iam pridem obferuaffe.

Illud expeditum eft, fi uel omnia alia recte fe haberent, tamen IGNOMINIAM aliquam, qua pudor oneratur, liberis obiici, per SOCINI CAVTIONEM. POENAE enim CAVSSA a reliquis partibus hereditatis excluduntur, fi BENEFICIO LEGVM VTI et onus legitimae adiectum detrectare audeant, aut inueftigare, an legitima ipfis, fecundum praecepta legum, integra et falua a parente fit relicta. Sed quis, fine PVDORE, audiat, fe, POENAE CAVSSA, et quia iuffum parentis neglexerit, a parte aliqua hereditatis EXCLVSVM effe IVDICIO PARENTIS. Hac arte DIFFICVLTAS MAXIMA liberis obiicitur, ne legum beneficio libere utantur. Sed PAVLLVS in-

a) de Leyfer Medit. ad Pandect. Spec. 93. n. 3. fq.

intercedit, ne liberis DIFFICVLTATES ALIQVAE omnino opponantur, in hereditate parentum adquirenda l. 4. pr. et §. 1. D. de *Hered. Instit.*

Certe, si intelligerent parentes, suos subinde liberos, si per CAVTELAM SOCINI a reliquis partibus hereditatis excludantur, propter METVM IGNOMINIAE deterreri, ne onus legitimae impositum detrectent, aut quantitatem legitimae portionis sibi debitam inuestigent, frustra leges de LEGITIMA PORTIONE latae sunt, et nihil impedimento erit parentibus, quo minus, VXORVM delinimentis maxime illecti, quod GAIVS ait, iniquissime de sanguine suo statuant, legumque saluberrima praecepta interuertant. Quid enim faciat filius, si pater ipsi in testamento usumfructum bonorum omnium, in uxoris gratiam, ademit, aut si praecepit, ne INVENTARIVM, aut SPECIFICATIONEM IVRATAM hereditatis paternae a matre, aut alio quocunque possessore, exigat, sed ut coeco obsequio omnino credat, optime sibi consultum esse. Hiscere non audebit, qui uideat, si obloquatur, POENAM cum quadam ignominia coniunctam ex parentis testamento sibi imminere. Sed haec talia in FRAVDEM LEGIS a parentibus FIERI et PERICVLOSA exemplo esse qui non fateatur, ex illo uelim discere, quomodo quis possit proteruius aliquid in FRAVDEM legis machinari.

Atuero POMPONIVS prohibet, ne CONDITIONES, quae FRAVDEM LEGVM respicerent, in supremis judiciis admitterentur. l. 7. D. de *Condition. Instit.* Et generaliter, secundum PAVLLVM, REMITTENDAE sunt CONDITIONES, quae CONTRA BONOS MORES inseruntur. l. 9. D. de *Condit. Institut.* Sed inter conditiones BONIS MORIBVS aduersas hanc inprimis habet, si forte adscriptum sit: NE PATRONO ALI-

MENTA PRAEBEANTVR. d. l. 9. de *Condit. Instit.* Iam uero, si contra bonos mores est, cogere heredem, ne patrono alimenta praebeat; an non turpius uidebitur, si metu ignominiae cogatur filius, se ipsum fraudare ALIMENTIS, et legitimam portionem dimittere, qua si exuatur, reipublicae utilis esse nequeat. FAME enim NECARE liberos uidetur parens, qui hanc portionem liberis ademit, Nou. XVIII. c. 3.

Idem etiam MARCIANO placuisse uideo, qui l. 14. D. d. *Condit. Instit.* omnes, ait, conditiones contra Edicta, CONTRA LEGES, aut contra BONOS MORES, aut DERISORIAS, aut illas, quas PRAETORES improbauerunt, pro NON SCRIPTIS accipi debere. Sed CONTRA LEGES esse uidebitur conditio, qua filius, cum metu ignominiae, prohibetur, ne ONVS adiectum LEGITIMAE detrectet, aut ne inuestiget, utrum uere sibi a parente LEGITIMA PORTIO relicta sit.

Inprimis uero in FILIIS receptum est, ne instituantur a parente sub conditione, quam SENATVS, aut PRINCIPES, improbauerunt. Ita enim PAPINIANVS respondit, l. 15. D. de *Condit. Instit.* Sed quis non uidet, improbari a Principe hanc CONDITIONEM, qua filio interdicitur, ne ONVS LEGITIMAE detrectet, neue INVESTIGET, utrum legitimam saluam habeat, utrum legi sit satisfactum a parente. Hanc certe cautionem non obscure IVSTINIANVS improbauit. l. 32. C. de *Inoff. test.*

VI

VI

CAVTELA SOCINI IN FRAVDEM LEGIS INVENTA EST, QVAMVIS PER ILLAM LIBERIS LEGITIMA SALVA RELINQVI VIDEATVR

Satis credo comprobatum esse, CAVTELAM SOCINI PVDOREM ONERARE, et METV IGNOMINIAE liberos subinde prohibere, ne beneficio legum uti, ne onus legitimae adiectum detrectare, ne uires patrimonii inuestigare possint. Sed utrum ex his, quae adhuc disputata sunt, sequatur, illam in FRAVDEM LEGIS inuentam esse, diligentius excutiemus.

Nimirum plurimi negarunt, per CAVTELAM SOCINI legibus FRAVDEM fieri, cum portio LEGITIMA, quae sola liberis necessario relinquenda sit, in hac SOCINI formula, sine omni onere, EXPRESSE relinquatur. Ipse enim IMPERATOR parentibus de reliquis bonis disponendi liberrimam uidetur facultatem tribuisse. *Nou.* CXVII. cap. 1. Quae igitur FRAVS uideri possit, si liberis suum, id est, portio lege definita, sine onere omnino per cautelam SOCINI relinquatur.

Sed hos quidem interpretes seduxit PAPINIANVS, qui l. 79. D. de *Reg. Iur.* FRAVDEM, ait, ex CONSILIO et EVENTV iudicari. Iamuero nec CONSILIVM fraudis apparere, aiunt, nec EVENTVM, si liberis, per cautelam SOCINI, LEGITIMA relinquitur, quae ipsis debebatur.

Verum enim uero nihil moueor, quo minus exiſtimem, FRAVDEM LEGIBVS FIERI per SOCINI cautionem, quamuis legitima liberis ſalua relinquatur. Nimirum largior PRIVATIS, de quibus PAPINIANVS illo loco diſputat, FRAVDEM nunquam fieri, niſi et conſilio fraudis et euentu in damnum inducantur: Neque diſſimulo, ex cautela SOCINI liberos non ſemper DAMNVM aliquod ſentire, cum interdum plus lucrari poſſint, ſi TOTAM hereditatem CVM ONERE accipiant, quam ſi partem LEGITIMAM cum ſumma libertate nanciſcantur. Sed in his negotiis, quae non tam IN FRAVDEM SINGVLORVM, quam IN FRAVDEM LEGIS potius, contrahuntur, FRAVDIS uocabulum laxius interpretamur.

Enimuero LEGI FRAVDEM FIERI dicimus, quoties CONSILIVM et FINIS legislatoris interuertitur, quoties MACHINATIO et DIFFICVLTAS aliqua excogitatur, qua quis uti legis beneficio et fructum ex lege capere prohibeatur, quoties inueniuntur artes quaedam, quae EXEMPLO PERICVLOSAE ſint, et alios inuitare poſſint ad eludendam legislatoris uoluntatem. Audiamus PAVLLVM atque VLPIANVM, qui l. 29. et 30. D. de *Legibus*, in fraudem legis aiunt aliquid fieri, quoties ſaluis legum uerbis illarum SENTENTIAM circumuenimus, aut quoties id molimur, quod lex fieri NOLVIT, quamuis expreſſe non uetuerit.

Sed quis dubitabit, NOLLE legislatorem, ut legi ſuae quaedam DIFFICVLTAS et MACHINATIO obiiciatur, quae legis beneficium peruertat, et malo exemplo alios alliciat ad delinquendum.

Quae cum ita ſint, non poteſt eſſe obſcurum, in FRAVDEM LEGIS inuentam eſſe formulam SOCINI. Voluerunt enim ueteres, liberrimam liberis LEGITIMAM relinqui et omne onus a liberis detrectari, quod legitimae adiiciatur.

Sed

Sed SOCINVS hac formula effecit, ut liberi metu IGNOMINIAE et damni deterreantur, ne onus legitimae impositum detrectent, ne inuestigent, an legitima portio ipsis salua relinquatur. Ita parentes EXEMPLO inuitabuntur, ut, si uideant liberos rem inuestigare non ausuros, ipsi liberos legitima tacite, adiecto onere, defraudent, quamuis illos cum onere ex asse scripserint heredes. Sed, si IMPERATORES audiamus, quae IN FRAVDEM LEGIS excogitata sunt, INVTILIA sunt, et pro INFECTIS merito accipiuntur l. 5. C. de *Leg.* Imo uero maxime in heredum institutionibus obtinuit, secundum POMPONIVM, ut conditiones, quae AD FRAVDEM LEGVM respicerent, heredibus remitterentur. l. 9. D. de *Condit. Instit.* Hoc est, quod PAPINIANVS praecipit, PRIVATORVM CAVTIONE legibus non refragandum esse. l. 15. §. 1. D. ad *Legem Falcid.* quod et IVLIANVS, in VLTIMIS VOLVNTATIBVS maxime, probauit, l. 5. §. 7. D. de *Administr. et peric. tut.*

VII

CAVTELA SOCINI
LEGIBVS FRAVDEM FACIT
QVAMVIS DETVR LIBERIS ELECTIO,
VTRVM CONDITIONEM AGNOSCERE
AN LEGITIMAM SALVAM
HABERE MALINT.
EX ALTERNATIVIS CONDITIONIBVS
SI ALTERA TVRPIS ET INIQVA EST,
NEVTRA VALET

ACCEPISTI accusationis nostrae praecipua momenta; nunc de excusatione SOCINI uideamus.

Et multi quidem eius partes ex hac caussa maxime defendunt, quod nihil clanculum a testatore fiat in formula SOCINI, sed res aperte administretur, et liberis OPTIO relinquatur, utrum hereditatem totam cum onere agnoscere, an legitimam duntaxat accipere, illaque integra et salua contenti esse malint. Neque enim liberi recte de illa formula conqueri uidentur, cum sciant, quid agatur, cum utramque uiam uideant, et alteram eligere possint, et rebus suis, utcunque uisum est, consulere, et, ne quid damni accipiant, cauere. Negat enim VLPIANVS recte illos FRAVDEM aliorum accusare, qui sciant, quid agatur. l. 145 D. de *Reg. Iur.*

Sed his quidem satisfiet, si dicamus, ex ALTERNATIVIS CONDITIONIBVS NEVTRAM VALERE, si altera in FRAVDEM LEGIS concepta sit, et metuatur, ne quis, ELECTIONE data, ad INIQVAM conditionem accipiendam urgeatur. Tractauit simillimam speciem VLPIANVS, l. 8. §. 5. D. de *Condit. Institut.* quam breuiter exponam. Testator aliquem sub IVRISIVRANDI CONDITIONE instituerat heredem. Sed CONDITIO IVRISIVRANDI, secundum MARCELLVM, pro TVRPI habebatur. l. 20 D. de *Condit. et demonstr.* Igitur testator, metuens, ne heredi conditio remitteretur, ALTERNATA CONDITIONE, praeceperat, ut uel pareat conditioni, et iuret, uel Titio mille exsoluat. Quaerebatur, an ualeret institutio: quandoquidem heres, si millia exsoluerit, securus sit, et necessitatem iurisiurandi euitare possit. VLPIANVS respondit, VTRAMQVE conditionem remittendam esse, NE CONDITIO ALTERA IPSVM VRGEAT, ut iuret, et turpis conditionis necessitatem sibi imponi patiatur.

Vix disputatione indiget, eandem rationem ineundam esse, si de CAVTELA SOCINI iudicemus. In hac enim non secus, atque in illa specie, quam VLPIANVS proposuit, ALTERNA-

TIVA

TIVA CONDITIO adiicitur filio in heredis institutione. Nimirum iubetur filius uel totam hereditatem CVM ONERE, quod ipsam LEGITIMAM afficiat, agnoscere, uel LEGITIMA contentus esse, et reliquam hereditatem aliis permittere. Prior conditio iniqua est, et, quantum ad legitimam attinet, pro NON SCRIPTA haberi debet, cum legitimae portioni omnino nequeat onus aliquod imponi. Igitur nec posterior conditio ualebit, qua filius urgeri posset, ut consentiret in priorem conditionem, quam leges scriptae improbarunt. Hoc enim tanto magis timeri potest, quanto uehementius plerique metu cuiusdam IGNOMINIAE terrentur. Sed metui omnino posse ignominiam, si quis, quasi contumax, et improbus, in modum poenae, a bonis paternis, praeter legitimam, excludatur, et legitima contentus esse iubeatur, supra est a nobis comprobatum.

VIIII

NON EXCVSARI POTEST CAVTELA SOCINI QVAMVIS LIBERI LEGITIMA CONTENTI ESSE DEBERENT SI ILLA IPSIS SIMPLICITER RELICTA ESSET.

QVAEDAM SIMPLICITER CONSTITVI POSSVNT QVAE ALTERNATIVE CONSTITVTA VIM SVAM PERDVNT

OPERAM perdere uidebimur, qui diutius haeremus in re manifesta. Sed, ne quid obtendi possit, breuiter tractabimus

ctabimus de alia SOCINI excusatione. Aiunt enim, IVSTISSIMAM esse formulam, qua iubeatur filius LEGITIMA contentus esse, nisi paruerit conditioni, quae toti hereditati sit adscripta: Nullam enim iniuriam fieri liberis, qui contenti esse debuissent, si uel SIMPLICITER in parte legitima duntaxat heredes instituti et a reliquis partibus PVRE exclusi essent a parente.

Sed huic dubitationi, quamuis non improbabilis esse uideatur, occurri potest, si admoneamus multum interesse, utrum aliquid PVRE et SIMPLICITER constituatur, an cum CONDITIONE, quae in fraudem legis excogitata esse uideatur.

Nimirum, si pure filius a reliquis partibus exclusus et ex sola portione legitima heres institutus esset, appareret, SERIAM hanc parentis VOLVNTATEM fuisse, ut partes reliquae hereditatis in alium heredem tranferantur. Huic igitur iudicio parentis filius merito obtemperaret. Sed cum, secundum SOCINI formulam, filius ex asse heres scribitur cum onere, et tunc demum, si hoc onus detrectet, iubetur legitima contentus esse, intelligitur; non illud SERIO et PRINCIPALITER actum esse a parente, ut filius tantum legitimam portionem habeat, sed, ut his minis filius cogatur, totam hereditatem cum conditione accipere, et onus etiam legitimae impositum, inuita Themide, agnoscere, cum partem illam prorsus integram et saluam habere debuisset.

Vt rem totam paucis comprehendam, conditione illa proditur animus parentis, ideoque intelligitur, patrem in FRAVDEM LEGIS aliquid MACHINATVM esse, et filio necessitatem oneris suscipiendi imponere omnino uoluisse, a quo ferendo liberos legislatoris prouidentia absoluit. Quod consilium cum periculosum EXEMPLO, et cum CONTEM-

PTV

PTV LEGIS coniunctum esse uideatur, merito remittitur conditio, et pro NON SCRIPTA accipitur, quasi heres PVRE et EX ASSE, institutus esset a parente.

Hoc in mentem uenit MODESTINO, qui l. 195. D. de *Reg. Iur.* quaedam, si EXPRESSA sint, nocere ait, quae si non EXPRESSA essent, innocua fuissent. Enimuero si simpliciter legitima duntaxat relicta esset, nulla conditione liberis adiecta, sine dubio heredis institutio ualeret; sed cum conditio EXPRIMITVR et caussa illa proditur, ex qua testator liberos, si non paruerint conditioni, legitima contentos esse uelit, infirmatur illud iniquissimum consilium parentis. Occurrunt sexcenta eiusmodi exempla, etiam in extraneis heredibus, quibus conditio remittitur, sub qua instituti sunt, quamuis testator illos praeterire aut PVRE excludere a tota hereditate potuisset. Eo pertinet illa species VLPIANI, quam supra diligentius tractaui. Potuisset testator heredem PVRE et SIMPLICITER iubere, ut Titio mille exsoluat: sed cum hoc sub CONDITIONE alternata praeciperet, ut uel IVRARET, legibus inuitis, uel Titio mille solueret, remittenda est conditio solvendorum millium, ne per illam heres necessitate iurisiurandi oneretur. l. 8. §. 5. D. de *Condit. Instit.*

Sed occurrit et alia species non minus luculenta, apud eundem VLPIANVM, de qua l. 15. §. 1. D. ad *Leg. Falcid.* copiose disputauit: Frater sororem scripserat heredem: sed cum Seio centum donare uellet, sororem cum Seio pacisci iussit, ipsam Lege Falcidia non usuram esse, sin secus fecisset, Seio centum daturam. Sed, quamuis frater Seio pure et simpliciter centum donare potuisset, tamen inutilis esse uisa est illa cautio, et sorori obligatio remissa, quod appareret, illud onus sorori in fraudem legis impositum fuisse. d. l. 15. §. 1. D. ad *Leg. Falcid.*

VIIII

SI HERES EDITIONEM INVENTARII AVT IVRATAE SPECIFICATIONIS CVM CAVTELA SOCINI PETERE PROHIBEATVR ILLA PRORSVS EST INVTILIS. POENA CONSTITVTA EST IN POSSESSOREM HEREDITATIS QVI LEGITIMAM INTEGRAM REDDERE DETRECTAT.

Sed frequentiſſime quidem formula Socini utuntur teſtatores, cum nolunt EDITIONEM INVENTARII aut IVRATAE SPECIFICATIONIS, quam dicunt, ab uxoribus aut hereditatis poſſeſſore exigi, ſed his ſimpliciter fidem adhiberi praecipiunt. Atvero in hac quidem ſpecie omnium minime toleranda eſt cautio SOCINI. Hac enim ſi teſtator uteretur, aperte legi iniuria fieret, quae LEGITIMAM iubet liberis et TOTAM, et SINE ONERE, relinqui. Neque enim conſtare poſſet liberis, an non portio legitima ipſis interuerteretur. Sed admonendi ſumus etiam POENAM olim in poſſeſſorem hereditatis fuiſſe conſtitutam, qui partem legitimam liberis reddere detrectat. IVSTINIANVS enim DVPLO eius auaritiam coercet, ut cum portione legitima, liberis alteram partem tertiam reddere cogatur, niſi ſtatim, et ſine ſtrepitu iudicii, legitimam exhibuiſſet. l. 33. C. de *Inoff. teſt.* Hanc igitur teſtator POENAM eludere conatur formula SOCINI, aliamque POENAM, ex ſuo ingenio, conſtituit heredi, ſi illud audeat exigere, quod poſſeſſor, cum POENA legibus expreſſa, praeſtare iubebatur.

Sed,

Sed quis ferat, hominem privatum sua cautione IVS PVBLICVM mutare, et heredem iactura reliquarum partium hereditatis, in modum POENAE testamentariae, mulctare, ne POENA iuris publici locum inuenire possit.

X

IVDEX POTEST DESERERE IVDICIVM PARENTIS. TVTISSIMVM CONSILIVM ADVERSVS FORMVLAM SOCINI VT OFFICIVM IVDICIS MODESTE IMPLORETVR.

Ex his quidem caussis, quae adhuc copiosius tractatae sunt, FORMVLA SOCINI nobis non solum suspecta, sed etiam INVTILIS uidetur. Sed confido, tanto facilius me illas aliis approbaturum, quando certius, EXHEREDATIONI liberorum non fauendum, omnemque MALIGNAM INSTITVTIONEM strictius accipiendam esse, auctoritate PAVLLI et IVSTINIANI confirmatur l. 19. D. de *Lib. et posthum. Nou. XVIII. c. 3.*


Iampridem hoc agnouerunt cordatissimi Iurisconsulti, qui SOCINO, in ipsis fere huius formulae incunabulis se opposuerunt. Ex multis aliis occurrit CAROLVS RVINVS, qui SOCINI formulam diligenter impugnauit. a) Idem ex ueteribus NICOLAO SVPRANO b) in mentem uenit, qui et ipse non ferendam esse credidit SOCINI cautionem. Sed, ne quid dissimulem, uincimur numero illorum, qui consilium SOCINI amplectuntur. Quapropter raro il-

 lud

a) Carol. Ruinus Conf. 149. n. 13.
b) Nicol. Supranus Conf. n. 20. et 32.

lud deferitur in foro, nisi appareat manifesta iniquitas crudelis testatoris. Neque tamen illis, qui hac formula in testamento onerati sunt, omnis spes intercipitur victoriae forensis. Enimuero officio iudicis continetur, ne permittat, homines nouos, et, qui mortuo parente demum in suam potestatem veniunt, atque ad utilitatem reipublicae succrescunt, testatorum iniuria occidi, quod supra ex Nou. XVIII. c. 3. a nobis obseruatum est. VLPIANVS quidem certe l. 3. §. 3. D. de *Administr. et peric. tut.* luculenter praecipit, aliquando RECEDENDVM ESSE a iudicio parentis, si appareat aliquid minus penso consilio a parente constitutum. Facile enim propter summum affectum parentis, Praetor sibi persuadebit, testatorem omnino mutaturum fuisse sententiam, si intellexisset, quantam filio iniuriam fecerit in testamento.

Quae cum ita sint, TVTISSIMVM consilium uidetur, ut, qui cum FORMVLA SOCINI oneratus est, non tam directe impugnet parentis iudicium, quam potius IMPLORATIONE OFFICII IVDICIS VTATVR, et caussas iniquitatis et iniuriae, ex parentis iudicio acceptae, modestius exponat, atque utrum a iudicio parentis recedendum sit, iudicis ARBITRIO permittat. Ita enim facilius, ut iniquitas illa corrigatur, impetrabit, et POENAM a testatore constitutam euitabit, cui, propter STRICTAM interpretationem, nunquam locum damus, nisi incontinentius et liberius impugnetur iudicium parentis.



✱ ✱ ✱



Dum funesta sonant per patulos undique pulsibus
Campos arma, manus dum rubeas sanguine conserunt
Paene omnes, TV quoque nunc, DOCTE VIR, instruis,
Non hasta, aut gladio, letiferis sed neque glandibus,
Pugnare aggrediens, ingenio qnin potius TVO.
Quod natura TIBI larga sagax præbuit. arteque
Instructus varia. (Scilicet hoc talia proelium
Vult arma.) Ergo quis est, qui faciat vel dubiam TIBI
Hic palmam? Cui jam sacra Themis praemia praeparat.

Ita NOBILISSIMO, atque eruditione varia singularique probitate ac modestia, insigni, Dom. MEYERO, Fautori, amico et Ciui, suo longe aestimatissimo, eximium hoc doctrinae atque industriae, specimen gratulatur

M. Godofredus Wageners,
Ordin. Phil. Adj. & Lyc. Con. R. utriusque item Coll. Sen.

DU waffnest DJCH zum Streit, Gelehrter Meyer
Doch fällt DJR dieses gar nicht schwer
DJR war die Rüstungs-Zeit stets wehrt und theuer
Drum ist DEJN Köcher jetzt nicht leer.

Mein Hoffen trifft gewißlich ein,
Ich will DJCH nur durch dubitiren,
Zu dem gewünschten Kampf-Platz führen,
Dein Sieg wird sonder gleichen seyn.

Durch diese wenige Zeilen wolte dem Hochgeehrtesten Herrn Respondenten seine Ergebenheit zeigen und sich zu dessen gütigen Andencken empfehlen

Theodor Gotthilff Bahrdt.

So kan, Geehrter, auch ein Herbst die Früchte geben
Davon DEIN später Fleiß dem Vater Hoffnung
mach:
DU warest auch darauff bedacht,
Durch Kunst und Wissenschafft dich Himmelan zu heben.
Es machte DIR gantz feurig Geist und Blut
Ein ungemeiner Trieb, der DIR war eingepräget,
Der zu den Künsten Muth, zur Tugend Lust erreget,
Dieß führte DICH zum höchsten Guth.
Jetzt wird der Fall ersetzt, jetzt wird das Hertz erneuet,
Jetzt wird des Vaters Stamm erfrischet und ergötzt;
So, daß er solche Wurtzel setzt,
Die mit erwünschter Frucht das Vaterland erfreuet,
So Tugend ehrt urd niemals unterdrückt.
Laß schwitzen wer da will in unbekandtem Sande,
DU bist zu opffern DICH bereit dem Vaterlande;
Zeuch hin, DEIN Vorsatz sey beglückt!

Mit diesen wolte zum Andencken und beständig
Freundschafft sich bestens emphlen

Johann Ehrenfried Qvandt,
Med. C. & P.

DUm capias laudem, TIBI sunt permulta ferenda,
Nil natura parens absque labore dedit.
Hoc magis at MEYERE animum jam praemia pascunt,
Quae Themidis natis porrigit aequa manus.
Gratulor haec hilaris, votis Numenque precabor,
Pluribus ut meritis TE cumulare velit.

Amicus tuus integerrimus

Carolus Fridericus Richter,
Jur. Stud.

Sind

Sind Fleiß, Gelehrsamkeit und Tugend solche Sachen,
Die ihren Mann berühmt und lobenswürdig machen,
So brauchst DU, werther Freund, auch meines Lobes nicht,
Weil DEJNE Gründlichkeit vor DJCH am besten spricht.
DU zeigest von DJR selbst die allerschönsten Proben,
Und also muß das Werck auch jetzt den Meister loben,
DU gehest wohl gerüst in den gelehrten Streit,
Und DJR erhält den Sieg, der Schlüsse Bündigkeit.
DU hast die edle Zeit, die mancher so verschwendet,
In unserm Elb-Athen vortreflich angewendet,
DEJN täglich muntrer Fleiß ward niemals müd und matt,
Noch die Begierde, stets noch mehr zu wissen, satt.
Wie viel hat nicht von DJR DEJN Vaterland zu hoffen,
Wie schön ist nicht der Wunsch des Vaters eingetroffen,
Der seine eigne Müh so wohl belohnet sieht,
Und vor sein Capital die reichsten Zinsen zieht.
Wohlan! so nimm den Schmuck, den DJR die Themis reichet,
Und der an Kostbarkeit auch keiner Crone weichet,
DJCH kennt Justinian als seinen besten Sohn,
Von dem erwarte auch der den allerschönsten Lohn.

Durch diese weinige Zeilen wolte den Hochgeehrten Herrn Respondenten zu gegenwärtiger Disputation gratuliren, und sich zu geneigtem Andencken bestens emphelen, dessen ergebenster Diener u. Vetter.

G. C. Aland,
Juterb. Sax.

Es wird Hochwerther Freund! bey DEJNEM disputiren
Mein DJR ergebnes Hertz in lauter Gluth gesetzt,
DU weist der Sätze Reyh so bündig auszuführen,
Daß DEJN Beweiß davon die Gegner selbst ergötzt.

Drum

Drum gönne mir es doch, wenn ich bey solchem Glücke,
Das DEINEN Fleiß becrönt, vergnügt und freudig bin
Der Himmel zeige DIR noch ferner holde Blicke!

Dies schrieb ein treuer Freund zum steten Denckmahl hin.

Christian Gottlob Schuberth,
Drieb. Pol.

INdole de clara testatur plagula praesens,
Certamen doctum plus dabit indicii.
Faxit & hinc patriae TVA quo fiet utilis orae
Doctrina, ingenii dexteritasque TVI.
Quam TIBI multipli leges peperere labore.
Conscriptae cura, JVSTINIANE, TVA.
Perge bonis avibus, fausto omine perge, PROPINQVE,
Qua Themidos TIBImet semita monstrat iter.

Ita Nobilissimo atque Doctissimo Dom. RESPONDENTI, ad praeclara quaevis nato, & in Musarum castris huc usque strenue certanti, eximinum doctrinae specimen ex animo gratulatur civis atque cognatus.



I. F. Dennewiz,
Theol. Stud.

